DISSERTATIO
DE SANCTIS MARTYRIBUS

PRIMUM VULGATA

AD PUBLICAM DISPUTATIONEM

AB ANGELO AGNOLETTO

S. THEOL. DOCT. AC PROF. IN SEM. PAT.

NUNC ITERUM EDITA ET NUNCUPATA

ANGELO FUSINATO

ANTISTITI CONCORDIENSI

ECCLESIAE SUAE REGIMEN FELICITER INEUNTI

X. KALEND. APRIL. ANN. MDCCCLI.



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLI.

AMPLISSIMO ANTISTITI

ANGELO FUSINATO

F.

Cathedralis Ecclesia Concordiensis quam summa totius cleri populique expectatione et laetitia ad episcopale ministerium inchoandum auspice ac duce levitarum et martyrum principe divo STEPHANO *ingrederis, singulari gaudet patrocinio et glorioso nobilitatur sepulcro sanctorum* DONATI, SECUNDIANI, ROMULI *cum aliis sociis tribus supra octoginta. Erant ipsi origine et patria Vicetini in religione christiana a* DONATO *instituti; sed exorta ac saeviente Diocletiani persecutione ceterarum immanissima in exilium pulsi Concordiam profugerunt, ubi detecti atque comprehensi, in dirissimum carcerem trusi omnibus suppliciorum generibus, omnibus cruciamentorum modis diu multumque vexati sunt, ac tandem extra urbem gladio interfecti. Prophetantia eorumdem Ossa marmoreo saxo reposita sunt et ab antiquis ad nostra usque tempora religiose asservata, neque solum apud finitimas gentes sed etiam apud remotas magno in honore habita praesertim ob salutaris aquae ex iisdem effluentis indeficiens prodigium et beneficium. Martyrii palmam consecuti sunt V. christiani nominis saeculo, XIII. kalend. mart., qui dies in Ecclesia illa*

atque dioecesi solemni celebratur officio et usque ad octavum subinde sequentem colitur.

Pridie hujusce festi, spectatissime Praesul, pontificiae Consecrationis munus accepisti fausto praepotentis illorum auxilii ad optimam gregis gubernationem praesagio. Hoc ab ipsis Caelitibus imploraveras in Epistola pastorali amoris plenissima qua commissum tibi populum primum allocutus es. Jam tunc tibi adfuerunt ex sublimibus gloriae sedibus vultu hilari, teque divini Spiritus plenitudine auctum et ampliori potestate exornatum gratulantes intuiti sunt. Nunc vero accedentem ad insigne sacrarum Reliquiarum monumentum triumphali ornatu excipient candidis vestibus praefulgentes, caput aureis gemmatisque coronis circumdati, palmas manibus gestantes, lucis radios ex vulnerum cicatricibus emittentes.

Ad memorandae pompae hujus decus, ad invictorum militum gloriam, ad significationem aliquam obsequii et existimationis opportunum nobis visum est opusculum de Sanctis Martyribus, quod ab Angelo Agnoletto theologo summo secundum Seminarii hujus consuetudinem ad publicam disputationem multis abhinc annis conscriptum fuerat, delitescens ac prope ignotum in lucem proferre. Optime enim cadunt et in Concordienses fidei vindices quae in libello vivide, eleganter, docte proposita continentur. Officium nostrum argumenti gravitatem et auctoris praestantiam tibi commendaturas esse confidimus.

SECTIO PRIMA.

DE MARTYRIO, ET DE MARTYRUM GENERIBUS QUAE SUNT IN ECCLESIA CATHOLICA.

I. Martyr perinde est atque testis, et martyrium nil aliud demum est quam testimonium. Quare d. Augustinus (1) « Ipsi martyres, inquit, hujus fidei martyres, id » est hujus fidei testes fuerunt. Huic fidei testimonium » perhibentes, mundum non repugnando, sed moriendo » vicerunt ». Idem s. doctor alio in loco (2) « Testimonia, » ait, graece martyria nuncupantur quo verbo utimur » pro latino: unde illos qui propter testimonium Christi » diversis passionibus humiliati sunt et usque ad mor» tem pro veritate certarunt, non testes, quod latine uti» que possumus, sed martyres appellamus ». Martyrium igitur libera et constans est testificatio fidei Jesu Christi conjuncta perpessioni tormentorum atque adeo mortis.

II. Non unum martyrum genus esse in Ecclesia, quemadmodum non unus est fidei propugnandae modus, patrum testimonia et illustria multorum martyrum documenta demonstrant. D. Bernardus (3) tria distinguit genera martyrii, unum *operis et voluntatis*; quod qui-

dem ceteris martyriis longe multumque antecellit; alterum *unius voluntatis*; tertium *solius operis*; et singula haec martyrii genera etiam exemplis collustrat. « Habemus, inquit, in beato Stephano martyrii simul opus » et voluntatem; habemus solam voluntatem in beato » Joanne; solum in beatis Innocentibus opus. Biberunt » omnes hi calicem salutaris aut corpore simul et spiri- » tu, aut solo spiritu, aut corpore solo ».

Jam solam voluntatem satis esse ad honorem martyrii docuerat prior Bernardo d. Hieronymus (4) qui loquens de s. Joanne evangelista « Si legamus, ait, eccle- » siasticas historias in quibus fertur, quod et ipse pro- » pter martyrium sit missus in ferventis olei dolium (5), » et inde ad suscipiendam coronam Christi athleta pro- » cesserit, statimque relegatus in Patmos insulam sit, vi- » debimus martyrio animum non defuisse, et bibisse » Joannem calicem confessionis quem et tres pueri in » camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit san- » guinem ». Immo ante Hieronymum idipsum docuerat d. Cyprianus, qui magnifice praedicans de Lucio pontifice romano (6) « quem reducem denuo ad suos fecerat » benigna Domini et larga protectio, ut pascendo gregi » pastor et gubernandae navi gubernator et plebi regen- » dae rector redderetur »; illum non dubitat verum martyrem nominare, quia licet re mortem non subierit, animo tamen paratissimo erat ad eam pro Christo oppetendam. « Neque enim, ait, in tribus pueris minor fuit mar- » tyrii dignitas qui morte frustrata (7), de camino ignis » incolumes exierunt, aut non consummatus Daniel ex- » stitit in suis laudibus, quia, qui leonibus missus erat » ad praedam, protectus a Domino vixit ad gloriam. In

» confessoribus Christi dilata martyria, non meritum confessionis minuunt, sed magnalia divinae protectionis » ostendunt ».

III. Ex his planum est intelligere quid differat inter martyres *consummatos* sive *coronatos*, ac inter martyres *designatos*, uti appellant: nam *consummati* sive *coronati* martyres dicebantur qui mortem reapse occumbebant; *designati* vero martyres vocabantur qui supplicio quidem destinati erant, beneficio tamen divino mortem evadebant. Ad martyres *consummatos* seu *coronatos* pertinent haec verba d. Cypriani (8): « Cum » voluntati nostrae et confessioni accedit moriendi ter- » minus, consummata martyrii gloria est ». Ad martyres *designatos* spectant exempla d. Joannis evangelistae et Lucii pontificis romani de quibus memoravimus.

IV. Accedit, quod primaevi christiani, ut notavit Baronius (9) in Martyrologio a se vulgato, etiam illos in numero martyrum collocabant, qui sibi diffisi, verentesque ne fidem proderent, si ad quaestionem vocarentur, patriae bonorumque jacturam faciebant et voluntarium exilium eligebant; quos idcirco *extorres* appellabant. « Non erat horum despicienda conditio, inquit me- » moratus Baronius, si ea de causa mortem oppetiissent ». De his *extorribus* intelligenda sunt haec Cypriani verba (10): « Solus non est, qui templum Dei servans, ubi- » cumque fuerit, sine Deo non est, etsi fugientem in so- » litudine aut in montibus latro oppresserit, ferae inva- » serint, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per ma- » ria praecipiti navigatione properantem tempestas aut » procella submerserit. Spectat militem suum Christus » ubicumque pugnantem, et persecutionis causa pro no-

» minis sui honore morienti praemium reddit, quod da-» turum se in resurrectione promisit ».

V. Jam qui fidei servandae causa a patriis sedibus concedebant, si eo tempore in eaque calamitate, aut aerumnis aut hostili aggressione aut alia inevitabili necessitate de medio sublati fuissent, appellabantur martyres *non solemnes*; nihilo tamen minus a christianis magno in pretio et honore habebantur eodem Cypriano teste (11): « Nec minor est, inquit, martyrii gloria non » publice et inter multos periisse: sufficit ad testimonium » martyrii testis ille qui probat martyres et coronat ». Similiter martyres *non solemnes* illi erant qui populari furore in urbibus aut in agris tumultuaria conspiratione raptim ferro demetebantur, nulla magistratuum sententia actis publicis consignata; qui carceribus inclusi occidebant aerumnis conflictati; qui foedissima in loca conjecti interibant pressi pondere coacervatae multitudinis supra se positae, quemadmodum legere est apud Victorem episcopum vitensem in Historia de Persecutione Vandalica (12).

Martyres vero *solemnes* illi proprie fuerunt qui secundum formulam a legibus constitutam, praemissa interrogatione et lata a judicibus sententia, morti dabantur. Talis martyr fuit, teste Pontio, Cyprianus qui primus proconsuli *nuntiatus est*; deinceps *productus, et de nomine interrogatus*; denique *lecta de tabula sententia, morte affectus est*. Talis martyr, ut alios innumeros hujusce generis praetermittam, fuit Apollonius qui, ut refert Eusebius (13), « elegantissima oratione pro » defensione fidei suae coram omnibus pronuntiata, capi-» tali supplicio a senatu damnatus est ».

VI. Notandum ad hunc locum est discrimen martyrum *confessorum* et *professorum*. Licet enim haec duo vocabula, ubi de martyribus sermo sit, promiscua esse videantur, eaque revera apud scriptores harum rerum saepe reciprocentur, certum tamen et cognitum est, inter se differre, praesertim si ratio habeatur ad primam Ecclesiae catholicae quasi aetatem. « Majores nostri, ait » laudatus Baronius [14], neminem eo nomine (scilicet » *confessoris*) appellabant, nisi eum qui Christi fidem in» terpellatus coram fidei hostibus confessus esset.... Qui » non interpellatus se martyrio ingerebat, hic dicebatur » *professor* ». Discrimen hujusmodi posterorum memoriae traditum est a Tertulliano et in primis a d. Cypriano [15]. Jure propterea Pamelius, vir eruditione clarus, in Scholiis ad epistolam IX. Cypriani, hoc discrimen monitos esse voluit legentes; Benedictus vero XIV. pontifex summus notiones vocibus *confessoris* et *professoris* subjectas fusius explicavit [16].

VII. Addo huc duas alias voces et notiones, martyris nempe *vindicati* et martyris *putativi*. Illi pro martyribus *vindicatis* habebantur a christianis, quibus pium et religiosum cultum publico judicio suo Ecclesia decrevisset: *putativi* vero illi censebantur quos privata auctoritate aliqui christianorum colebant. Primi generis martyres singulae et universae Ecclesiae honorabant, in eorumque memoriam quotannis Deo sacrificium offerebant. Hoc ipsum pariter docet superius allatus Benedictus XIV. [17].

Martyres secundi generis vix ac ne vix quidem, ut privatim colerentur, episcopi sinebant, tametsi argumenta et signa aliqua aderant quae illorum martyrium com-

probare videbantur: immo, quo magis cautum foret reipublicae christianae, generatim prohibebant, ne hujuscemodi martyribus aliquis cultus tribueretur, donec indubia argumenta suppeterent quibus rem penitus definirent. De his *putativis* martyribus haec habet clarissimus Joannes Mabillonius (18): « Sint sancti, inquit, sint » martyres; ast id non sufficit, ut ipsis primarii Eccle» siae honores tribuantur. Non satis est esse martyres: » *vindicatos* quaerimus, ut cum Optato milevitano lo» quar, id est agnitos ab Ecclesia martyres et probatos. » Hinc est, quod Lucilla matrona a Caeciliano tunc archi» diacono carthaginensi correpta est; quod ante spiritua» lem sacrae Eucharistiae potum os nescio cujus marty» ris libare consueverat, etsi martyris, sed nondum vin» dicati ».

His perspectis et cognitis, disputationis firmamenta pono. Faxit *auctor fidei et consummator Jesus Christus* (19), ut quo tempore *veneramur in sanctorum martyrum gloria fidem nostram* (20), eodem hanc ipsam fidem ea qua par est animi firmitate a nefaria hostium aggressione tueamur et ab scelestis calumniatoribus vindicemus.

SECTIO SECUNDA.

DE MARTYRUM PERPESSIONIBUS. DE VERIS ET FALSIS MARTYRIBUS.

1. Martyria quae saeviente persecutionum procella saeculis amplius tribus christiani subierunt, evidenter invicteque demonstrant veram eam esse Ecclesiam pro qua tuenda atque defendenda facta sunt. Jam vero martyrium ad demonstrandam Ecclesiae Jesu Christi veritatem plurimum valere quisque per se facile intelligit, ubi expendat notas seu adjuncta, uti vocant, quae ipsum circumstant et quodammodo vestiunt: nam sola tormentorum atque adeo mortis perpessio, etsi fortis ac diuturna, haud ipsa per se satis idoneum argumentum est ad quippiam pro vero atque divino comprobandum, quemadmodum decernit sapientissimus pontifex Benedictus XIV. (21). Cujus rei ea ratio est, quia experientia compertum est, non raro homicidas, latrones, perduelles, immo etiam feminas magno animo et infracto fuisse, quo tempore propter atrocia et infanda scelera cruciatibus atque etiam mortibus immanissimis multabantur. Plura pertinaciae et animi obstinationis exempla refert

Tertullianus (22) non solum virorum verum etiam mulierum, inter quas insignis fuit « Leaena meretrix Atheniensium quae cum torqueretur a tyranno, *ut nominaret reos conjurationis cujus ipsa conscia erat*, et non prodidit conjuratos et novissime linguam in faciem tyranni expuit, ut nihil agere se scirent tormenta, etsi ultra perseverarent ».

Accedit, quod contingere potest, ut aliquis gloriae magis inflatu, quam instinctu caritatis moveatur ad subeundum martyrium. Ob hanc causam b. Hieronymus (23) « Timeo dicere, ajebat, sed dicendum est, martyrium ipsum, si ideo fiat ut admirationi ac laudi habeamur, frustra sanguis effusus est. Loquatur Apostolus: *Si tradidero corpus meum ut glorier, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest* ». Dixi id contingere posse; quidni fortasse aliquando contigerit? Etenim nominis praedicatio, cultus religiosus ceterique honores qui Christi martyribus tribui solebant, humanae causae sunt rerum incredibilium effectrices, praesertim ubi daemonum artes mille nocendi accedant. « Diabolus, ait d. Augustinus (24), et seductor spiritus plerumque implet vel fallaces vates, vel falsos martyres, ut tormenta corporis.... ingesta contemnant ».

Postremo si poenae tantum ratio habeatur, quidni martyres prope veri appareant illi, qui penes Marcionitas, penes Montanistas, Donatistas, Arianos religionis suae causa afflicti fuerunt et morte affecti? D. Bernardus (25) loquens de Anabaptistis « Mirabantur, inquit, aliqui, quod non modo patienter, sed et laeti.... ducerentur ad mortem ». Et Alanus Copus (26) de pluribus meminit heterodoxis qui animo paratissimo, ut videba-

tur, pro suis sectis exquisitissimos cruciatus tolerarunt, digni propterea, quorum nomina in Pseudo-martyrologiis suis haeretici purpureo colore distinguerent. Non igitur *poena* spectanda est in martyrio, sed *causa*: haec enim, non illa, facit martyres. Jam causa martyrii est voluntaria testificatio et animosa defensio fidei Jesu Christi coram tyrannis cum perpessione cruciamentorum et mortis. In martyrium igitur duo conspirent necesse est, tyrannus scilicet persequendo, et martyr tolerando: ille conspirat eo iniquo consilio ut ab recta fide virum constantem dejiciat; iste connitendo ne de suo statu deturbetur. Quare d. Augustinus (27) loquens de insigni martyre « In cujus, inquit, glorioso agone duo praecipue » consideranda sunt, saevitia tortoris ut eam detestemur, » et patientia martyris ut eam imitemur ».

II. Dixi paulo supra, inspiciendas esse notas et ponderanda adjuncta quae ipsum martyrium circumstant et quodammodo vestiunt. Haec autem sunt 1.° Ingens martyrum multitudo. 2.° Illorum indoles, conditio vitaeque consuetudo varia ac diversa. 3.° Immanitas, varietas, diuturnitas tormentorum. 4.° Fortitudo et constantia singularis cum summa animi tranquillitate, immo hilaritate conjuncta in ipsis cruciabilitatibus. 5.° Eorum sapientia in dicendo incredibilis et plane divina. 6.° Poenarum levatio adeo mira, ut in quibusdam omnis prope sensus doloris extinctus videretur. 7.° Miracula eo ipso tempore quo martyres torquebantur, divinitus patrata (28).

III. Martyrum multitudinem in primaevis christianorum persecutionibus paene incredibilem fuisse, certum adeo et exploratum est, ut nil possit ultra. « Totum mun-

» dum, inquit d. Gregorius Magnus (29), fratres, aspicite: » martyrum plenus est. Jam paene tot qui videamus, non » sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo nume- » rabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia » quanti sint a nobis comprehendi non possunt». Audiendus igitur non est Henricus Dodwellus, qui Dissertatione XI. Cyprianica ausus est *in dubium vertere, quod omnes catholici tot retro saeculis pro certo habuerunt*. Dodwelli opinionem cumulatissime refutarunt clarissimus Ruinartus et accuratissimus Sandinus (30), secuti Ecclesiae traditionem solidissimis fundamentis innixam, usi insuper documentis perspicuis omnis generis, gravissimisque patrum et scriptorum testimoniis. Istorum duo luculenta habemus, alterum Plinii Junioris pro-praetoris Bithyniae in sua ad Trajanum Epistola (31): « Visa » est mihi, inquit, res digna consultatione propter peri- » clitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis » ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, » et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos » etiam atque agros superstitionis istius (*sic appellat re-* » *ligionem Jesu Christi*) contagio pervagata est.... pro- » pe jam desolata templa (*deorum scilicet*) et solemnia » intermissa ». Alterum Tiberiani praesidis Palaestinae ad eumdem Trajanum: «Defatigatus sum, ait, puniendo et neci » tradendo Galilaeos, qui nobis veniunt sub nomine chri- » stianorum, secundum vestra mandata. Illi vero non ces- » sant ad caedem sese patefacere ».

IV. Fortitudo martyrum, eorumque constantia in perferendis cruciatibus et in mortibus oppetendis a sola causa divina repeti debet. Cum enim homines ita natura comparati sint, ut sui conservationem principe studio

velint, et idcirco summopere nocitura declinent, ab iisque vehementer abhorreant quae dura perpessu sunt et aspera toleratu; mortem vero, etiam quo tempore naturali corporum fluxu et occasu adventat, ne dum violentam, supra quam dici potest reformident: quae potest philosophia persuadere, martyriis christianorum humanas et naturales causas interfuisse? « Cum videat vulgus, inquit » Lactantius (32), dilacerari homines variis tormentorum » generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere » patientiam, existimat id, quod res est, nec consensum » tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam » esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos » posse superare ».

V. De immanitate, varietate, diuturnitate poenarum quas crudelitas tyrannorum, gentium effrenatio, diritas carnificum in gregem Christi exercuerunt, non commemoro sigillatim, sed dico generatim, et quidem usus verbis non meis, sed alienis. Audiatur s. Ephraem (33) qui paucis comprehendit quidquid poenarum excogitaverit furor et nequitia hostium Jesu Christi aptum ad acerbitatem, efficax ad dolorem, vehemens ad cruciatum, proptereaque idonenm vel solo apparatu ad exterrendum et exanimandum. « Stabant, inquit, certaminis tempore » fortissimi bellatores Dei, singula tormenta summa ani- » mi alacritate tolerantes pro nomine unigeniti Filii Dei, » et servatoris nostri Christi. Quam vero strenui quan- » taque fortitudinis laude praediti fuere, qui subjecta » oculis horrenda supplicia contra se parata non modo » nihil timuerunt, verum majore quoque constantia pu- » gnantes cuncta perferendo tolerarunt! Cernebant ar- » dentem rogum, ignitas sartagines, ebullientes ollas.

» quae fervore nimio guttas picis et adipis jaculabantur.
» Aspiciebant item ferratas atque aculeatas rotas inter » ignium globos nimia celeritate versari. Intuebantur ferreas ungulas, laminasque candentes, fustes, ursos, leones, praecipitia, vectes, terebras, compedes atque catenas, omnemque prorsus artem quam veritatis inimicus » adversus confessores Domini Salvatoris invenit. Omnia » enim poenarum genera in conspectu martyris hostis » callidus dedit, ut sanctos verteret in formidinem, et » aspectu ipso ac terrore poenarum lingua non amplius » confiteri Dominum Jesum metu impedita praesumeret. » Quid autem fidelissimi promptissimique bellatores Christi inter hujusmodi ante oculos exposita horrenda inauditaque supplicia (34)? Promptiores effecti majore fiducia atque constantia, indubitanter et intrepide ante » tribunalia judicum ac praefectorum, Christum Dominum » confitebantur ».

VI. Injuria a quibusdam generatim et universe culpantur tum martyres illi qui non interpellati fidem suam coram tyrannis et gentilibus palam testificati sunt; tum virgines illae quae supplicium sibi decretum morte voluntaria anteverterunt. In hac utraque materia sic animadvertendum existimo. Patrum doctrina est, « confiteri » fidem non semper nec in quolibet loco esse de necessitate salutis; sed in aliquo loco et tempore, quando » scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor Deo debitus et etiam utilitas proximis impendenda ». Ita d. Thomas (35). Idem s. doctor « Ubi » fides, ait, periclitatur, quilibet tenetur fidem suam propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insulta-

» tionem (36) ». Causae igitur, quibus christiani moveri et stimulari debent ad testificandam publice fidem Jesu Christi, sunt honor divinus, fidei ipsius defensio, rudium institutio, fluctuantium confirmatio, demum cohibitio hostium religionis. Cum ergo ex monumentis historicis atque adeo ex ipsis martyrum actis plane constet, qui frequenti hominum conventu se christianos esse ultro et animose confessi sunt, et fidem Jesu Christi, etiam non interpellati, coram tyrannis et gentilibus libera voce manifestarunt, illos ob aliquam harum causarum, immo ob plures simul sumptas id fecisse; consequens est, eos recte laudabiliterque fecisse.

VII. Etsi porro nemini licet sibi mortem inferre, quo scelere nihil inhumanius, nihil magis nefarium et impium potest esse; nihilo tamen minus qui hoc fecit divino instinctus afflatu, is laudabilis est, quia Deo moventi paret. « Cum Deus jubet, ait d. Augustinus (37), seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in » crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset »? Hoc divino afflatu seipsum *cum hostibus ruina domus oppressit* Samson non modo sine culpa, verum etiam cum laude. Nam cum Deus supremum jus in omnes ad unum homines habeat vitae juxta ac necis, consequitur ut illud libera voluntate sua exercere possit ministerio cujusvis et quovis modo. Si patri praecepit immolationem filii inquiens Abrahae (38): *Tolle filium, vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum;* cui dubium quin etiam possit velle ab homine, ut ipse suae necis minister sit, eidem proposito bono longe majore, quam sit haec vita, videlicet beatitate sempiterna? Hanc ob causam Augustinus commendat virgines illas

quae aquis se dedere praecipites pudicitiae servandae causa. « Quaedam, ait, sanctae feminae tempore perse- » cutionis, ut insectatores suae pudicitiae devitarent, in » rapturum atque necaturum se fluvium projecerunt, eo- » que modo defunctae sunt, earumque martyria in Ec- » clesia catholica veneratione celeberrima frequentan- » tur ». Adjungit tamen s. doctor, hujusmodi facta ne- mini esse exemplo debere. « Sed non ideo, inquit (39), » sine scelere facit quisquis Deo immolare filium decre- » verit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit ». De his doctrinarum capitibus copiose graviterque disputat laudatus pontifex Benedictus XIV. (40), secutus ducem in primis d. Augustinum, et clarissimus Ruinartus (41), quorum uterque meminit de d. Apollonia quae sancto movente Spiritu « in ignem insiliit et conflagravit » ; de ss. virginibus Bernice et Prosdoce quae cum matre sua Domnina se aquis submersere; de s. Pelagia de ejusque matre et sororibus quae similia effecerunt, « ne ethni- » corum libidine foedarentur (42) ». Sanctas hasce femi- nas et martyres gravissima ornatissimaque oratione pro- secuti sunt d. Joannes Chrysostomus et d. Ambrosius. Ille enim in s. Domnina matrem considerans (43), « Quo- » modo, inquit, puellarum dexteram arripuit? qui fieri » potuit, ut manus non obtorpescerent? quomodo non re- » soluti sunt nervi? quomodo mens de statu dejecta non » est? qui potuit ratio iis quae gerebantur, inservire? » Sexcentis enim tormentis facinus illud acerbius fuit, » cum corporis loco ejus anima discruciaretur. Verum » enim vero quousque tandem ea persequi contende- » mus, quae nemo assequi potest? Nulla quippe passionis » magnitudinem oratio posset exprimere, sed ea sola

» quae experta est ac decertavit mulier, novit cujusmodi » sint ista certamina. Audiant ista matres, audiant vir» gines; matres quidem ut filias suas sic instituant; » virgines autem ut ita matribus obsequantur ». D. vero Ambrosius s. Pelagiam cum matre ac sororibus ita loquentem inducit (44): « Quid veremur? Ecce aqua: quis » nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est quo pec» cata donantur, regna quaeruntur. Excipiat nos aqua » quae virgines facit; excipiat nos aqua quae caelum a» perit, inferos tegit, mortem abscondit, martyres red» dit ».

VIII. Haeretici etiamsi cruciatus animose perferant, ipsamque mortem incurrant pro tuendo uno aliquo fidei Jesu Christi dogmate sive articulo, pro martyribus habendi non sunt. Enim vero immotum principium est, ubi vera fides non est, ibi martyrium veri nominis esse nullo modo posse. Jam fides nulla in haereticis inest. Nam capita fidei quae illi recipiunt, non ideo recipiunt, quia nituntur Dei revelantis testimonio in quo demum consistit ratio fidei, ut ostendit d. Thomas (45); sed solum recipiunt privato judicio suo postquam haec ipsa fidei capita ad examen revocata suopte arbitratu dijudicarunt; propterea que illa recipiunt, quemadmodum quilibet reciperet unam aliquam ex legibus Lycurgi aut Solonis, placita quaedam Aristotelis aut Zenonis, et doctrinas Platonis: quo fit ut ea quae fidei sunt, recipiant *sine dono*, et, ut schola loquitur, *sine habitu fidei*. Ea igitur recipiunt opinione humana, non auctoritate divina, quod improbat Apostolus inquiens (46): *Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Cum ergo martyrium sit testimonium fidei nobis mani-

festatae divinitus per Christum; talis autem nequaquam sit haereticorum fides; consequens est, apud eos martyrium non esse; ideoque haereticos ne mortem quidem subeuntes pro defensione alicujus dogmatis fidei martyres veri nominis esse posse. « Haeretici, ait d. Augusti-» nus (47), nomine christiano animas decipientes multa » patiuntur, sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia » non est dictum: *Beati qui persecutionem patiuntur,* » sed additum est, *propter justitiam*. Ubi autem sana » fides non est, non potest esse justitia, quia *justus ex* » *fide vivit* ». Idem s. doctor (48) haereticos ita de se superbe sentientes: *Nostram fidem quam Dominus Christus Apostolis dereliquit, solae nobis istae persecutiones gravissimam reddunt;* sic refellit: « Recte ista di-» cerentur a vobis quaerentibus martyrum gloriam, si » haberetis martyrum causam. Non enim felices ait Do-» minus, qui mala patiuntur; sed qui propter Filium ho-» minis patiuntur qui est Christus Jesus. Vos autem non » propter ipsum patimini, sed contra ipsum patimini, » quippe ideo, quia non creditis, et toleratis ideo ne cre-» datis ».

IX. Similiter sentiendum esse de schismaticis affirmate pronuntio: nam ubi non est vera caritas, ne ibi quidem ullum martyrium potest esse. Quare s. Optatus milevitanus (49) loquens de schismaticorum pseudo-martyribus, « Si supra memoratos, inquit, videri martyres » vultis, probate illos amasse pacem in qua prima sunt » fundamenta martyrii, aut dilexisse Deo placitam unita-» tem, aut habuisse cum fratribus caritatem, sine qua » nullum vel nomine potest, vel re esse martyrium ». Et d. Cyprianus (50) « Idoneus, ait, esse non potest ad

» martyrium qui ab Ecclesia non armatur ad praelium ». Ratio igitur quamobrem schismatici, ne tormenta quidem ferentes pro aliqua fidei doctrina, martyrium consequi queant, ea est, quia se se ab Ecclesia separantes, « dis-» sensionibus iniquis, ut inquit d. Augustinus (51), a fra-» terna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quae nos » credimus ». Jam in eo schisma differt ab haeresi, quod » haeresis perversum dogma habet; schisma ab Ecclesia » christianos solum separat ». Ceterum « cum nullum schis-» ma sit quod non sibi aliquam haeresim confingat, ut » recte ab Ecclesia recessisse videatur », teste d. Hieronymo (52), idcirco ob eam etiam causam schismatici nequeunt esse martyres, ob quam esse martyres non possunt haeretici, nimirum ob fidei jacturam. Ad genus utrumque hominum pertinent haec Cypriani verba (53): « Cum Deo manere non possunt qui esse in Ecclesia Dei » unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis aut ignibus » traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit » illa fidei corona, sed poena perfidiae, non religiosae » virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus: » occidi tales possunt, coronari non possunt ». Delirant igitur scriptores quidam heterodoxi qui, ut suadeant penes se quoque posse esse atque etiam fuisse martyres, millia miraculorum venditant a pseudo-martyribus patrata pro suarum sectarum veritate atque sanctitate, quo tempore plectebantur: nam « contingere nullo modo po-» test, ait d. Thomas (54), ut aliquis falsam doctrinam » annuntians vera miracula faciat quae nisi virtute di-» vina fieri non possunt; sic enim Deus esset falsitatis » testis, quod est impossibile ». Putida illorum mendacia et dolos insignes in hac etiam re jampridem denudavit

vir eximius deque republica christiana optime meritus Alanus Copus (55) in opere luculento Antuerpiae typis impresso anno 1566.

X. Pro certo in Ecclesia catholica habetur veros Christi martyres esse Innocentes ab Herode interfectos de quibus propterea ita loquitur d. Augustinus (56): « Moriuntur parvuli pro Christo nescientes,... praestitit » eis Christus ut pro Christo morerentur; praestitit ut » suo sanguine ab originali peccato abluerentur » . Et d. Thomas (57): « Martyrii gloriam quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt » asseculi. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis. Unde sicut in pueris baptizatis » per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad » gloriam obtinendam; ita et in occisis propter Christum » meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii » consequendam » . Consequens igitur est, ut similiter parentum christianorum pueri vix editi in lucem, ubi in odium Christi a persecutoribus occidantur prius etiam quam baptisma percipiant, non solum salvi sint, sed praeterea eam dignitatem habeant, quae ex morte pro Christo oppetita in homines redundat. Quare Benedictus XIV. (58), doctrinam hanc esse theologorum communem affirmat; refellitque idcirco opinionem Joannis Majoris existimantis, hoc privilegium ad infantes quidem bethlehemiticos pertinere, ad pueros autem christianorum nullo modo. Sed cur ejusdem beneficii et dignitatis non participes sint qui in eadem causa versantur? Ex hoc firmo et immoto principio inferre non dubito hoc alterum docrinae caput, nimirum:

XI. Infantes etiam inclusos in uteris matrum, si ex-

tinguantur simul cum matribus obtruncatis aut combustis in odium fidei, salvos esse atque adeo martyres. Enimvero causa quamobrem pueri vix dum editi in lucem salvi sint et martyres, ubi propter fidem Christi ab ejus hostibus de medio tollantur prius etiam quam baptizentur, ea est, quia mors ab illis pro Christo tolerata efficit, ut perpessionis Christi fusique ab eo sanguinis virtus cum iisdem communicetur. Jam virtus perpessionis et sanguinis Jesu Christi duplici modo cum hominibus communicatur; nimirum modo communi et ordinario per aquae baptismum, inusitato autem et extraordinario modo per baptisma sanguinis. Cum igitur tyrannorum saevitia ac scelere mors vere et physice pertinere possit atque adeo pertineat etiam ad pueros in utero matris inclusos, sequitur ut illi, etsi non possunt, quamdiu ibi sunt, Christi perpessionem et mortem per *similitudinem* et *sacramentaliter* repraesentare, propterea quod ad eorum corpuscula nequit pertingere aqua baptismi; attamen possint utramque repraesentare, immo vere et proprie utramque repraesentent, ubi propter Christum reapse moriantur. Si ergo quibus sola sacramentalis similitudo cum Christo intercedit propter baptismum aquae, ii salvi fiunt; quibus vero intercedit cum Christo vera imitatio ad cumque conformatio ob mortem pro eodem oppetitam, ii praeterea martyres evadunt; consequens est ut etiam pueri vel in utero matris inclusi, si in odium Christi extinguantur, salvi sint et insuper habeant dignitatem martyrii. Quapropter idem sapientissimus Pontifex (59) « Ad ulteriora progrediendo, inquit, passim iidem » theologi docent, infantes etiam in maternis uteris oc» cisos veros esse martyres, et gratiam sanctificantem

„accipere....„ Ita cardinalis Capisuccus, Theophilus Raynaudus, Vasquez, Clericatus. Hujus rei ea ratio est, quia illorum mors imitatio mortis Christi est, ut docet d. Thomas sanctorum patrum doctrinam secutus. « Nec „requiritur, addit Laurentius Berti (60), nativitas ex u„tero, cum martyrium non sit secunda nativitas suppo„nens primam„. Pertinere igitur non dubito ad hujusmodi quoque infantes haec d. Joannis verba (61): *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem.*

ADNOTATIONES

(1) Lib. 22. de Civitate Dei cap. 9.

(2) Serm. 9. in Psalm. 118. num. 2.

(3) Serm. de ss. Innocentium Nativitate.

(4) In comment. ad cap. 20. Matth.

(5) Joannem evangelistam missum fuisse in olei dolium testatur Tertullianus de Praescriptionibus cap. 36., cujus auctoritatem haud respuendam esse, ait Moshemius in Dissertatione hac super re. Testatur etiam Eusebius Historiae Ecclesiasticae lib. 3. cap. 18. Vide Mamachium *De' Costumi de' primitivi Cristiani* tom. 2. pag. 273.

(6) Epist. 58.

(7) Alii legunt, *quia martyrio frustrati*.

(8) Epist. 56.

(9) Ad diem 2. Januar.

(10) De Exhortatione martyrii epist. 16.

(11) Epist. memorata.

(12) Lib. 2. n. 10. « Jactantur, inquit, confessores Christi super invicem angustia coarctante unus super alium, ut agmina locustarum et, ut proprie dicatur, ut grana pretiosissima frumentorum .... Foetor et horror universa poenarum genera superabat ». De eximio hoc Victoris vitensis opere praeclare meruit Theodoricus Ruinartus.

(13) Historiae Ecclesiasticae lib. 5. cap. 21.

(14) In notis Martyrologii ad diem 2. Januar.

(15) Vide Cypriani epist. 7. 9. 10. 15. 30. edit. Pamelii.

(16) Lib. 1. de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione cap. 2. num. 5.

(17) Lib. et loc. cit.

(18) De cultu Sanctorum Ignotorum n. 16. pag. 560. Quod opusculum inscribitur: « Epistola Eusebii Romani ad Theophilum Gallum », et habetur eo tomo operum Mabillonii cui titulus: *Vetera Analecta*.

(19) Hebr. 12. 2.

(20) D. Ambrosius serm. de ss. Nazario et Celso.

(21) In opere cit. lib. 3. cap. 20. num. 13.

(22) Orat. ad Martyres.

(23) In comment. ad cap. 5. epist. ad Galatas. Credibile vero est s. doctorem pro verbo καυθήσομαι, *ardeam*, legisse in graeco textu Apostoli hoc aliud, καυχήσομαι, *glorier*, alioquin d. Pauli sententiam non protulisset ad confirmandum quod volebat.

(24) Serm. 9. in Nativitate s. Laurentii.

(25) Serm. 66. in Cantica.

(26) Dialogo 5.

(27) Serm. 44. de Sanctis.

(28) In hisce notis sive adjunctis martyrii copiose robusteque versatur praestantissimus theologus Antoninus Valsecchi in opere *Dei Fondamenti della Religione* lib. 3. cap. 5.

(29) Homil. 27. in Evang.

(30) Ruinartus Praefatione generali in Acta martyrum §. 2. Sandinus Disputatione historica 9.

(31) Lib. 10. Epist. 93. Et Tiberiani epistolae meminit Suidas in Lexico art. Τραϊανός.

(32) Lib. 5. de Justitia num. 13.

(33) De Laudibus sanctorum martyrum apud Gallonium pag. 274.

(34) De sanctorum martyrum cruciatibus videndus Antonius Gallonius qui Antuerpiae anno 1667. librum vulgavit, quo instrumenta et modi quibus iidem martyres olim torquebantur, simul perspicue descripta et tabulis aeneis accuratissime expressa sunt. Legendus quoque clarissimus Mamachius *De' Costumi de' primitivi Cristiani* lib. 2. cap. 6.

(35) 2. 2. part. quaest. 3. art. 2.

(36) In respons. ad 2.

(37) Lib. 1. de Civitate Dei cap. 26.